

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project (<https://compendium-project.wlu.ca>)

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 5, Liber 3: De de aduersitatibus et in prosperitatibus et pertinentibus ad eas sub his titulis

De aduersitate et prosperitate: Rubrica i

Salomon in prouerbiis capitulo 17. Omni tempore diligit qui amicus est et frater in angustiis comprobatur. Idem in ecclesiastice capitulo 2. Cuncti dies hominis doloribus et erumpnis pleni sunt.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 21. Non est vir qui in omnibus felicitet.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 21. Non agnoscitur in bonis amicus: et absconditur in malis inimicus. Capitulo 40. Occupatio magna creata est omnibus et iugum graue super filios adam. a die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulture.

Terentius in hecyræ capitulo 10. Omnibus nobis vt res dant sese ita magni aut humiles sumus. 15. capitulo. Istuc est sapere: qui vbicunque opus sit animum possis flectere. In phormione capitulo 7. Omnes cum secunde res sunt tum maxime meditari secum oportet quo pacto aduersam erupnam ferant: pericula: exilia: damna: peregre diens semper cogites. Aut filii peccatum aut vxoris mortem aut morbum filie. Communia esse hoc fieri posse vt nequit animo sit nouum quicquid propter spem eueniat omne id deputare esse in lucro.

Uirgilius eneide libro 10. circa medium. Nescia mens hominum fati sortisque future. / Et seruare modum rebus sublata secundis.

Oratius odarum libro 2. capitulo 3. Equam memento rebus in arduis. / Seruare mentem: non secus in bonis. / Ab insolenti temperatam / Letitia. Idem in sermonibus libro 2. sermone 7. Quisnam igitur liber sapiens sibi qui imperiosus. / Quem neque pauperies nec mors nec vincula terrent.

Ouidius de arte amandi libro 2. Luxuriant animi rebus plerunque secundis. / **Nec** facile est equa commoda menti pati. Idem de tristibus libro 2. epistola vnica. Cum cepit quassata domus subsidere partes / In proclinas omne recumbit onus. / Cunctaque fortuna ruinam patiente deiscunt. / Ipsa suo quodam pondere tracta ruunt. Libro 4. epistola 3. Inque bonis cessat non cognita virtus. / Apparet virtus arguiturque malis.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 5. Tribulatio patientiam operatur. patientia autem probationem probatio vero spem. spes autem non confundit. Idem epistola 2. ad corinthios capitulo 12. Uirtus in infirmitate perficitur.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 3. capitulo i. Cum aspexeris qui te antecedant cogita qui sequantur. Si vis gratus esse aduersus deos et aduersus vitam tuam cogita quam multos antecesseris. Idem de beata vita. Nullus homo sine aliqua querela est. Idem de consolatione ad

Commented [CN1]: fol.136vb

paulinum. Studia optime felicitatem extollunt: et facillime minuunt calamitatem. Idem de consolatione ad marciam: Nulli contingit impune nasci. Idem de consolatione ad helbiam matrem. Unum habet assidua infelicitas bonum quod quos semper vocat nouissime indurat. Nec secunda sapientem euehunt: nec aduersa demittunt. Idem de naturalibus questionibus libro 4. Pauca admodum sunt sine aduersario. Idem tragediarum in thyeste capitulo 7. Nemo confidat nimium secundis. / Nemo desperet meliora lapsis. In edipo capitulo 6. Iners malorum remedium ignorantia est. In troade capitulo 11. et penultimo. Equior casum tulit et procellas / Mille qui ponto pariter carinas: / Obrui vidit. In agamene capitulo 4. Prospera animos efferunt. In hercule etheo capitulo 2. Comoda cladibus / Magnis magna patent. Capitulo 6. O si pateant pectora dictum. / Quantos inter sublimes agit. / Fortuna metus. Capitulo 8. Mors sola portus dabitur erumpnis.

Commented [CN2]: fol.137ra

Lucanus libro i. Mores rebus cessere secundis.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 9. Aduersis rebus rarior fides est: vbi nudari incipit qui copiosus aduenit.

Plinius de naturali hystoria libro capitulo 46. Que facit fortuna magna gaudia: nisi ex malis: aut que mala immensa nisi ex ingentibus gaudiis.

Iuuenalis libro 5. et finali satyra i. Ducimus autem / Hos quoque felices qui ferre incommoda vite. / Nec iactare iugum vita didicere magistra.

Ualerius maximus libro 8. titulo i. Neque secundarum rerum prouentu insolenter abuti: nec aduersis proptere debilitati oportet.

Auctor libelli de formula honeste vite. Tunc consilia salutaria tibi aduoca cum tibi alludit huius vite prosperitas: tunc te velut in lubrico retinebis ac sistes.

Augustinus in epigrammata prosperi epigramma 49. Bonus nec temporalibus bonis extollitur: nec malis frangitur. 87. epigramma. Nec facile inueniuntur in aduersitate presidia que non fuerunt in pace quesita.

Prosper sub 35. epigramma. Rectorum est aduersa pati et tolerare modeste. / Nec querula in quoquam voce mouere deum. Sub 49. epigramma. Namque bonos non blanda inflant nec aspera frangunt.

Cato capitulo 2. Cum fueris felix que sunt aduersa caueto. Capitulo 3. Prospice qui veniunt hos casus esse ferendos / Nam leuius ledit quicquid prouidimus ante. / Rebus in aduersis animum submittere noli. Capitulo 5. et finali. Tranquillis rebus que sunt aduersa caueto. / Rursus in aduersis melius sperare memento.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 7. In omni aduersitate fortune infelicissimum genus infortunii est fuisse felicem. Felicissimi cuiusque delicatissimi sensus est: et nisi ad nutum cuncta suppetant omnis aduersitatis insolens minimis quibusque prosternitur. Capitulo 15. Per exigua sunt que fortunatissimis beatitudinis summa detrahunt. 15. capitulo. Plus hominibus reor aduersam quam prosperam prodesse fortunam. Illa enim semper spem felicitatis cum vester blanda mentitur. Hec semper vera est: cum se instabilem mutatione demonstrat. Illa fallit. hec

Commented [CN3]: fol.137rb

instruit. Illa mendacio spem bonorum mentes fruentium ligat. Hec cogitatione fragilis felicitatis absoluit. Itaque illam videas ventosam fluentem suique semper ignaram. Hanc sobriam succinctamque: et ipsius aduersitatis exercitatione prudentem. Postremo felix fortuna a vero bono deuos blandiciis trahit. An hoc inter minima existimandum putas: quod amicorum tibi fidelium mentes hoc aspera horribilisque fortuna detexit. Hec tibi certos sodalium vultus ambiguosque secreuit. Libro 3. capitulo 9. Quem felicitas amicum fecit: infortunium faciet inimicum. 13. capitulo. Euripidis sententiam probo: qui carentem liberis infortunio dixit esse felicem. Libro 4. capitulo 11. et penultimo. Ne vos aut tristis fortuna opprimat aut iocunda corrumpat firmis viribus medium occupate. Quicquid aut infra subsistat aut vltra progreditur habet contemptum felicitatis: non habet premium laboris.

Cassiodorus epistolarum libro 4. epistola 47. Mundanis siquidem rebus frequenter nascitur de aduersitate prosperitas. Libro 11. epistola 15. Facile onus afflictionis sentiunt qui vti suauius delitiis consueuerunt.

Gregorius in pastorali capitulo 51. De spe eterne hereditatis gaudium sumant quos aduersitas vite temporalis humiliat: quia nisi saluandos in perpetuum cerneret erudiendos sub discipline regimine diuina dispensatio non frenaret.

Isidorus in synonyma solliloquiorum libro i. capitulo 4. Impossibile est vt homo sis et non gustes angustias. Nemo in perpetuum expers mali est. Nemo est qui in hoc seculo non doleat. Libro 2. capitulo 19. Habeto temperamentum in prosperis. habeto patientiam in aduersis.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 64. et finali. Conuenit ad nostros modus et prudentia casus / Quodque sequi deceat querere consilium.

Bernardus libro de improbatione viciorum capitulo 6. Non turbant aduersa pios: nec prospera tollunt.

Gualterius de castellione libro 3. Omnia cum quodam veniunt incommoda fructum. Libro 5. Nunc aduersa pati: nunc exultare secundis / Nunc caput incuruare malis: nunc tollem sortis / Humane est. Libro 9. et penultimo. Satius est non ascendere quam post / **Ascensum** regredi. melius non crescere quam post / Augmentum minui: grauius torquentur auari / Amissi memores quam delectentur habendo.

Mattheus vindocensis in poetria particula 2. et finali capitulo 4. Prosperat aduersas sors variata iubes. / Prospera sors nescit perpetuare fidem. Idem de hystoria tobie capitulo 30. Lubrica fortune non te premat alea uiuas / Maior in aduersis. prosperitate minor.

Heinricus samariensis libro i. particula 2. vtitur 10. Dulci non vsus: amaro / Namque proposito: noscitur omne bonum. / Aspera ferre decet maturant aspera mentem. / Immundus mundus que tibi munda dabit. Libro 2. Contra fortunam sis constans: sis patiens: / Sis ferreus: aduersi te neque frangat venis.

Iacobus beneuentanus capitulo 16. A consanguineis et amicis spernitur ille / Cui fortuna suam seua negauit opem.

Commented [CN4]: fol.137va

Ricardus iudex venusinum libro de pertractatione capitulo 35. Non flet in aduersis: nec prosperitate tumet / Uir sapiens. equa damna lucrumque gerit.

Prouerbia vulgaria. Chiuen dal male albene cum entrambe: mane loretene.

De fortuitis ac fatalibus accidentibus aduersitatis vel prosperitatis: Rubrica 2

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 24. Hominibus multa cadunt non verisimilia. fit enim quod preter verisimile. Idem ethicorum libro i. capitulo i. Multis contingunt detrimenta ex bonis. Iam enim quidam perierunt propter diuitias. alii vero propter fortitudinem. Idem magnorum moralium libro i. capitulo i. A fortuna et diuitie fiunt: et principatus: et vtiliter quecunque in potentie ordinem conueniunt.

Uirgilius eneide titulo 10. circa medium. Nescia mens hominum fati sortisque future.

Tullius rethoricorum artis noue libro 5. capitulo 10. Omnia subiecta sunt sub fortune dominatione. Erant qui in prosperis fortune rebus cunctos se putant fugisse. Et non multum potest obesse fortuna qui sibi firmius in virtute quam in casu presidium collocauit. Idem de amicitia. Non solum ipsa est ceca fortuna: sed etiam plerunque efficit cecos quos complexa est.

Commented [CN5]: fol.137vb

Seneca epistolarum ad lucillum libro 13. epistola 7. et penultima. Sapiens vincit virtute fortunam. Libro 18. epistola 2. Nullus contra fortunam inexpugnabilis murus est. Libro 17. epistola 3. Erant qui aut boni aliquid nobis: aut mali iudicant tribuere fortunam. materiam dat bonorum et inicia rerum apud nos in malum bonumue exiturarum. Ualentior enim omni fortuna animus est: et in vtranque partem ipse res suas ducit beateque ac misere vite sibi causa est. Idem tragediarum in hyppolito capitulo 10. Res humanas ordine nullo. / Fortuna regit: spargitque manu. / Munera ceca. In medea capitulo 3. Fortuna opes auferre: non animum potest.

Lex digestorum titulo de minoribus l. verum. Quod facto contingit cui ius patrifamilias quamuis diligentissimo potest contingere. Titulo de administratione rerum ad ciuitatem pertinentium l. 2. §. si eo tempore. Fortuitos casus nullum hominum consilium prouidere potest.

Lex codicis titulo de prescriptione xxx. annorum. l. finali. Sortes humane multe sunt: que nec dici nec enumerari possunt.

Ualerius maximus libro 7. titulo i. Patet fortunam aduersas res cupido animo infligere: secundas parco tribuere.

Fulgentius mitologiaram in prohemiiis. Felicitatis nouerca fortuna est: que amarum quodam humanis interserit: semper negociis.

Cato capitulo 3. Indulget fortuna malis: vt ledere possit. Capitulo 5. et finali. Cum sis incautus nec rem ratione gubernes: / Noli fortunam que non est dicere cecam.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 3. Fortuna fingitur loqui hec verba: hec nostra vis est. hunc continuum ludum ludimus. Rotam volubili orbe versamus nunc infima summis: nunc summa infimis mutare gaudemus. Ascende si placet: sed ea lege ne vti cum ludicri mei ratio

poscet deserere iniuriam putes. Quid tragediarum clamor aliud deflet nisi indiscreto ictu fortunam felicia regna vertentem. 5. capitulo. Rara est fortuitis rebus manendi fides.

Cassiodorus epistolarum libro 4. epistola 47. Homines cum ledere cupiunt beneficia frequenter impertiunt.

Commented [CN6]: fol.138ra

Uersificator fabularum esopi 42. fabula. Cum lesit miseros fortunam medetur eisdem.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 13. Obstitit interdum factis fortuna virorum. / Propositumque suo non sinit esse loco. / Sic nocuit multis: multos tamen illa beuit. / Uiuuit in hoc mundo taliter omnis homo.

Gualterius de castellione libro 2. Casus ruit improuisus in omnes.

Bertrandus hyconomica capitulo i. Licet omnium rerum mundanarum status et exitus negociorum sub fortuna laborent: non tamen hoc timore est viuendi regula omittenda. 24. capitulo. Seruans doctrinam raro accusabit fortunam: Raro diligentiam cum infortunio sociabis. Sed rarius a pigritia infortunium separabis.

Prouerbia vulgaria. Achi dio vol bene dormando geuene / Achi dio vol male le pegore ge da de dente / Achi dio vol male el ge tole elseno.

De mutabilitate et caducitate prosperitatis atque aduersitatis ex inopinatis casibus fortuitis aut fatalibus: Rubrica 3

Job hystoria capitulo 5. Deus merentes erigit sospitate. 30. capitulo. Dixit iob: Expectabam bona et venerunt mihi mala. Dixit iob: Uersa est in luctum cythara mea: et organum meum in vocem flentium.

Salomon in prouerbiis capitulo 27. Ne glories in crastinum: ignorans quid superuentura pariat dies. Idem in ecclesiastice capitulo 4. De carcere cathenisque interdum quis egreditur ad regnum et alius natus in regno inopia consumitur.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 4. scilicet de chilone. Chilo lacedemonius: qui fuit vnus de septem sapientibus interrogatus ab esopo quidnam ageret iuppiter dixit: Alta quidem eum humiliare: humilia exaltare.

Tullius rethoricorum artis noue libro 10. capitulo. Erant qui in prosperis rebus cunctos fortune impetus se putant fugisse. Sapienter cogitant qui temporibus secundis casus aduersos reformidant.

Ouidius de tristibus. Nempe dat et quodcunque libet fortunam rapitque. / Cirrus et est subito qui modo cresus erat. Libro 5. epistola 10. Passibus ambiguus fortuna volubilis erat. / Et manet in nullo certa tenaxque loco. / Sed modo leta manet: vultus modo sumit acerbos / Et tantum constans in leuitate sua est. Idem metamorphosis libro 2. Nulla potentia longa est. Idem de ponto libro 4. et finali epistola 3. Omnia sunt omnium tenui pendentia filo. / Et subito casu que valuere

Commented [CN7]: fol.138rb

ruunt. / Ludit in humanis diuina potentia rebus / Et certam presens vix habet hora fidem. / Tu quoque fac timeas et que tibi leta videntur / Dum loqueris fieri tristia posse puta.

Paulus apostolus epistola i. ad corinthios capitulo 10. Qui se existimat stare videat ne cadat.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. epistola 3. Neminem eo fortuna prouexit vt non tantum illi minaretur quantum permiserit. Libro 3. epistola i. Redige te ad parua ex quibus cadere non possis. Libro 15. epistola 4. Quid est quod non fortuna cum voluit ex florentissimo detrahat: quod non eo magis aggrediatur et quatia quo speciosius fulget quod illi arduum quodue difficile est. Nihil priuatum: nihil publicum stabile est tam hominum quam vrbium fata voluuntur: inter placidissima terror existit. 5. epistola et finali. Qui aliquo auxilio substinetur potest cadere. Idem de breuitate vite. Quod altius surrexerit: primus est in occasum. Idem de consolatione ad paulinum. Nunquam stabili consistimus loco: pendemus et fluctuamur: et alter in alterum elidimur. Idem de consolatione ad marciam. Plena et infesta variis casibus vita est: a quibus nulla longa pax vix inducie sunt. Idem de naturalibus questionibus libro 2. Secundis nemo confidat: aduersis nemo deficiat: alterne sunt vices rerum. Libro 6. et finali. Nulla tempestas magna perdurat. Idem tragediarum in thyeste capitulo 7. Nulla sors longa est: dolor atque voluptas / Inuicem cedunt / **Ima** permutat leuis hora summis. / Nemo confidat nimium secundis. / Nemo desperet meliora lapsis. / Rotat omne fatum. / Res deus nostras celeri citatas / Turbine versat. In agamenone capitulo 2. Nunquam placidam sceptris quietem. / Certumue sui tenere diem. / Feriunt celsos fulmina colles. / Corpora morbis maiora patent. Capitulo 13. et penultimo. O nulla longi temporis felicitas. In octauia capitulo 10. Quicquid excelsum est cadet. Capitulo 19. et finali. Nec sibi quisquam spondere potest / Firmum: est stabile per quia casus / Uoluit varios: semper nobis / Metuenda dies. In hercule etheo capitulo 6. Male pensantur magna minis. Idem in prouerbiis. Leuis est fortuna: cito reposcit quod dedit.

Lucanus libro i. circa principium. Summisque negatum / Stare diu. In se magna ruunt. / O faciles dare summa deos: eademque tueri / Difficiles. Libro 4. Felix qui potuit mundi vitare ruinam. Libro 8. Dedecori est fortuna prior: quisquamne secundis. / Tradere se fatis audet: nisi morte peracta / Mutantur pro spera vite.

Statius thebayde libro 10. Forsitan et nobis modo qui fauere recedent.

Ualerius maximus libro 4. titulo 4. Dominium rerum collabi solet bone mentis vsurpatio: nullum tristioris fortune recipit incursum. Libro 6. titulo 9. et finali. Caduca nimium et fragilia puerilibusque consentanea crepudiis sunt ista que vires atque opes humane vocantur. affluunt subito. repente dilabuntur. nullo in loco nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt. Sed incertissimo flatu fortune huc atque illuc acta quos in sublime extulerunt improviso recursu destitutos profundo cladum miserabiliter immergunt. Polycratis samniorum tyranni omnes conatus placido excipiebantur itinere: spes certum cupite rei fructum apprehendebant: vota nuncupabantur similis et soluebantur. Uelle ac posse in quo positum erat: **Semel** duntaxat vultum mutauit fortuna. per quam breui tristitie salebra succussum. Tunc cum admodum gratum sibi annulum de industria in profundum ne omnis incommodi expers esset abiecit: eum continuo recuperauit capto pisce qui eum deuorauerant. Sed hunc cuius felicitas semper plenis velis prosperum cursum tenuit erutes darii regis prefectus in excellentissima micalensis montis vertice

Commented [CN8]: fol.138va

Commented [CN9]: fol.138vb

cruci affixit. Dionysius cum hereditatis nomine a patre syracusanorum ac pene totius sicilie tyrannidem accepisset: maximarum opus dominus exercituum dux: rector classium: equitatum potens: propter inopiam litteras pueriles corinthi docuit.

Lex codicis titulo de usufructu l. penultima. Multe et innumerabiles cause rebus incidunt mortalibus per quas homines quod habent iugiter detinere non possunt.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Extolli nolli cum te fortuna beuit. / Pompono hoc eadem qui leuat ipsa premit. Capitulo 3. Altior ascensus grauior plerunque ruina est. / Cum nimis alta petis citus incautusque ruina: / Et grauis et subita est sexte timida tibi. / Rumor falsidicus surgit et ipse cadit.

Maximianus. Et grauius summo culmine mensa ruunt.

Cecilius firmianus de beata vita libro 7. et finali. Plus habent ponderis ad ruinam que sunt ceteris altiora.

Claudianus libro i. Et heu quam breuibus pereunt ingentia causis. / Desinat elatis quisquam confidere rebus.

Macrobius saturnaliorum libro 2. capitulo 18. exautior liberii. Summum ad gradum claritatis cum veneris consistes egre: et citius quam descendas decides.

Fulgentius mitologiarum libro 3. et finali fabula 5. Omnis potentia nescit contra suos diuturnum seruare affectum et quod amauerint cito aut celando amputat: aut fastiendo horrescit.

Boetius de consolatione libro i. capitulo i. Qui cecidit stabili non erat ille gradu.

Cassiodorus epistolarum libro 10. epistola i. Deus consuevit casus asperos in prospera commutare.

Uersicator fabularum esopi 36. fabula. **Ascensor** nimius nimium ruit: aptus in imis / Est locus. hoc leuis est: illa ruina grauis. Fabula 44. Uindicat elatos iusta ruina gradus. / Pennatis ne crede bonis. te nulla potestas / In miseros armet: nam miser esse potes.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 30. Sepius exigua dolor ingens labitur hora.

Gualterius de castellione libro 8. O quam difficili visu sors prouehit actus / Lubrica mortales: et quos ascendere fecit: / Quam facile euertit. / Tam firmum nihil est cui non metus esse ruine / Possit ab inualido: quis nondum nauigat orbem: / Debeat occursum mortisque timere procellam. / Fortunam memor esto tuam: quia ludicra semper / Et leuis est: nunquam potest in vita teneri / Caduca. / Sunt bona fortune: stabilisque ignara fauoris.

Heinricus samariensis libro i. particula i. O deus o quam subito fortuna rotatu / Cuncta molendinat mobiliore rota. Particula 2. Promouet iniustos fortuna volubilis: vbi quos / Scandere precipites fecit ad ima rotet. Libro 2. Cuncta rotat fortuna rota qua cuncta rotantur.

Gaufridus in poetria 15. capitulo. Omnia lapsum / Spondent: et cicius sunt prospera prompta ruine. / Insidias ponit semper sors aspera blande. Capitulo 30. Sub meliore statu semper peiora cauet. / Nulla fides rerum: sequitur post mella venenum / Et claudit nox atra diem: nebulaque

Commented [CN10]: fol.139ra

serenum. / Cum soleant homini feliciter omnia verti. / Maiori leuitate solent aduersa reuerti.
Capitulo 33. Hoc vnum prescire potes: quia nulla potestas / Esse morosa potest: quia res fortuna
secundas / Imperat esse breues. / Breuis est distania leti / O nimis et mesti. nox est vicina diei.

Iacobus beneuentanus capitulo 56. Credit homo vere securus sepe manere. / Ex improuiso sepius
ipse cadit. / **Donec** stare putes videas ne forte veharis / Nam subitus casus vergere firma solet.

Commented [CN11]: fol.139rb

Prouerbia vulgaria. La grande angoxa dio la conca.

De naturali mutabilitate status cuiuscunque: Rubrica 4

Salomon in prouerbiis capitulo 24. Septies cadet iustus et resurget.

Aristoteles methauroorum libro i. Omnia permutantur tempore.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 18. A mane vsque ad vesperum immutatur tempus.

Ouidius methamorphosis libro 15. et finali. Nec species sua cuique manet: rerumque nouatrix. /
Ex aliis alias reparat natura figuras. / Nil equidem constare diu sub imagine eadem / Crediderim.

Quintilianus declamationum 8. declamatione. Sepe in vnum summa decidunt.

Seneca de consolatione ad marciam. Omnia humana breuia et caduca sunt. Quicquid ad summum
venit ad exitum prope est. Ubi incremento locus non est vicinus occasus est.

Lucanus libro i. circa principium. Sumisque negatum / Stare diu. In se magna ruunt.

Lex codicis titulo de veteri iure enucleando l. ii. §. sed quia diuine. Humani iuris conditio semper
in infinitum decurrit: et nihil est in ea quod stare perpetuo possit. multas etenim formas edere
natura nouas deproperat.

Lex autentici titulo de non alienandis etc. §. vt autem. Quid erit stabile inter homines et ita
immobile vt nullam patiatur immutationem: cum omnis noster status sub perpetuo motus
consistat. Titulo vt omnes obediant iudicibus etc. §. hanc dicentes. Nihil pene in semetipso
manet: sed currit natura semper multas euoluens mutationes: quas neque prouidere facile est
neque predicere.

Claudianus libro i. Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Prosper sub vltimo capitulo. Non idem status est agris: non vrbibus vllis. / Omniaque in fine
precipitata ruunt.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 5. Ullam ne **humanis** rebus constantiam inesse reris:
cum ipsum sepe hominem velox hora dissoluit. 6. capitulo. Constat eterna positumque lege est:
vt constet genitum nihil.

Commented [CN12]: fol.139va

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola 49. Humane res mutabilitate quatiuntur.

Uersificator fabularum esopi fabula 44. Stare diu nec vis nec honor nec formam nec etas / Sufficit in mundo: plus tamen ista placent.

Gualterius de castellione libro 9. et penultimo. Res ita se prebent vt nulli phas sit in vno / Semper stare gradu.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiarum capitulo 35. Transit honor: pereunt preciosa: iuuenta senescit. Deficiunt vires: gloria queque perit. Capitulo 45. Elatis raro: gloria longa datur. / Ardua nanque cadunt: et tumefacta crepant.

Prouerbia vulgaria. El mal dura: ma el non regna.

De pressura temporis: Rubrica 5

Psalmista 89. psalmo. Anni nostri sicut aranea meditabuntur. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis. Si autem in potentatibus octoginta anni: et amplius eorum labor et dolor. 111. psalmo. Omnes sicut vestimentum veterescent: et sicut oportorium mutabis eos domine: et immutabuntur. 112. psalmo. Homo sicut fenum: dies eius tanquam flos agri: sic et effloreat. quoniam spiritus pertransibit in illo: et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum. 175. psalmo. Dies hominis sicut vmbra pretereunt.

Salomon in ecclesiastice capitulo 3. Omnia tempus habent: et suis spaciis transeunt vniuersa sub sole.

Aristoteles methaeorum libro i. capitulo 5. et finali. Omnia permutantur tempore.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 18. Omnis caro sicut fenum veterescet. Sicut folium fructificans in arbore viridi alia generantur et alia deiiciuntur. Sic generatio carnis et sanguinis alia finitur et alia nascitur.

Oratius in epodo libro i. capitulo 5. et finali. Urget diem nox: et dies noctem. Idem epistolarum libro 2. epistola 3. et finali. Singula de nobis anni predantur euntes.

Ouidius sine titulo seu amorum libro i. epistola 4. Labitur occulte: fallitque volatilis etas. / Et celer admissis labitur annus equis. Idem de arte amandi libro 2. Fortuna bonum fragile est: quantumque accedit ad annos / Fit minor: et spatio carpitur ipsa suo. Libro 3. et finali. Nec que preterit hora redire potest. / Utendum est etate: cito pede labitur etas. / Nec bona tam sequitur quam bona prima fuit. Idem methamorphosis libro 10. Labitur occulte fallitque volatilis etas. / Et nihil est annis velocius. Libro 15. et finali. Cuncta fluunt: omnisque vagans format imago. / Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu. / Non secus ac flumen: neque enim consistere flumen. / Nec leuis hora potest: sed vt vnda impellitur vnda / Urgeturque prior veniente vrgentque priorem. / Tempora sic fluunt pariter: pariterque sequuntur / Et noua sunt semper: nam quod fuit ante relictum est. / Fitque quod haut fuerat: momentaque cuncta nouantur. / Tempus edax rerum: tuque inuidiosa vetustas / Omnia destruitis: viciataque dentibus eui. / Paulatim lecta consumitis omnia morte. Idem de fastis libro 6. et finali. Tempora labuntur: tacitisque senescimus annis. / Et

Commented [CN13]: fol.139vb

fugiunt freno non remorante dies. Idem de ponto libro 4. et finali epistola 8. Tabida consumit ferrum lapidemque vetustas. / Nullaque res maius tempore robur habet.

Quintilianus declamationum 12. declamatione. Cito labitur dies. Procliuis in pronum fertur etas. Senectus magna pars mortis est.

Paulus apostolus epistola ad hebreos capitulo 8. Quod antiquatur et senescit prope interitum est.

Seneca tragediarum in hyppolito capitulo 5. Etate fruere: mobili cursu fugit. Capitulo 7. Dum licet vtere. / Tempus te tacitum subruit. In troade capitulo 5. Tempus audium nos deuorat.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 10. Omissa diu nemo quesuiit.

De tristitia et merore: Rubrica 6

Salomon in prouerbiis capitulo 12. Meror in corde viri humiliabit illum. 15. capitulo. In merore animi deiicitur spiritus. 17. capitulo. Spiritus tristis exiccat ossa. 25. capitulo. Sicut tineae vestimento et vermibus ligno: ita tristitia viri nocet cordi. Idem in ecclesiastice capitulo 2. Cuncti dies hominis doloribus et erumpnis pleni sunt.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Assuefac teipsum existere non mestum: sed discretum: propter illud enim temerarius: propter hoc autem cordatus reputaberis. In tristis eris si alienas iacturas intuitus fueris: et memores teipsum existere hominem.

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 20. Sollicitudines et studia et conatus tristes. necessaria enim et violenta hec. Si non assuefiant. sic enim consuetudo facit delect. Irati tristantur vehementer non punientes. Libro 2. capitulo 4. Inspicientes propria mala omnes dolent. 6. capitulo. Iratus tristatur: odiens autem non. 11. capitulo. Separari ab amicis et consuetis miserabile confusio debilitas oratio. Idem ethicorum libro 3. capitulo 8. Difficilius est tristitiam substinere: quam a delectationibus abstinere. 11. capitulo et finali. Tristitia stupefacit et corrumpit naturam habentis. Libro 7. capitulo 18. Tristitia malum est et fugibile. 15. capitulo et finali. Expellit delectatio tristitiam. Libro 8. capitulo 4. Natura vester triste fugere: appetere autem delectabile. Libro 10. et finali capitulo 5. Corruptunt operationes proprie tristitie.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 30. Tristitiam non des anime tue: et non affligas temetipsum in consilio tuo. Tristitiam longe expelle a te. Multos enim occidit tristitia: et non est vilitas in illa. 34. capitulo. A tristitia festinat mors. Tristitia cordis flectit ceruicem. Ne dederis in tristitia cor tuum: sed repelle eam a te.

Terentius in heutontomerumenon capitulo 9. Uulgo audio / Diei diem adimere egritudinem hominibus.

Oratius in epistolis libro i. epistola 19. Oderunt hylares tristem: tristisque iocosos.

Tullius tusculanarum questionum libro 3. Qui id quod mutari non potest metuit: is viuere animo quieto nullo modo potest. Libro 3. Quid est quod plus valeat ponendum **dolorem** quam cum est

Commented [CN14]: fol.140ra

Commented [CN15]: fol.140rb

intellectum nihil profici et frustra esse susceptum. Idem phylippicorum libro 2. Homines quamuis in turbidis rebus sint: tamen si modo homines sunt interdum animis relaxantur.

Ouidius epistolarum 6. epistola. Quilibet ad facinus ipse dat arma dolor. Epistola 7. Multa tamen latus tristitia pontus habet. Idem sine titulo seu amorum libro capitulo 7. Minuet vindicta dolorem. Idem de remedio amoris libro 2. Et quis non causas mille doloris habet. Idem methamorphosis libro 3. Dolor vires adimit. Libro 4. Mens est quam diros sentiat ictus. Libro 9. Commemorare velit. / Quis enim sua prelia victus: / Pars est meminisse doloris. Idem de ponto libro i. epistola 5. Mensque pati durum sustinet egra nihil. / Parcendum est animo miserabile vulnus habenti.

Quintilianus declamationum 4. declamatione. Humane infirmitatis ista natura est vt ex omnibus accidentibus grauissimum putet quisque quod patitur. 5. declamatione. Hec omnibus natura est vt sua cuiusque calamitas precipue misera atque intoleranda videatur.

Paulus apostolus epistola 2. ad corinthios capitulo 7. Que secundum deum tristitia est: penitentiam in salute: stabilem operatur. Seculi autem tristitia mortem operatur.

Seneca tragediarum in hyppolito capitulo 4. Non leuat miseros dolor. In edipo capitulo 3. Ubi lecta duris mixta in ambiguo iacent: / Incertus animus scire cum cupiat timet. Capitulo 12. et penultimo. Dulce merenti populus dolentum / Ferre quam sortem patiuntur omnes: / Nemo recusat. In agamenone capitulo 6. Clades scire qui refugit suas: / Grauat timore: dubia plus torquent mala. In hercule etheo capitulo 6. O si pateant pectora ditum. / Quantos intus sublimis agis / Fortuna metus. [idem] epistolarum ad lucillum libro 2. epistola 6. et finali. Ne sis miser ante tempus: cum illa que velut imminetia expauisti fortasse nunquam vetera sunt: certe non venerunt. Etiam si futurum est quid iuuat dolori suo occurrere: satis cito dolebit cum venerit: iterim tibi meliora promitte. Sepe metum tempora. Libro 7. epistola 10. Turpissimum est in homine prudente remedium meroris laxitudo merendi. Nulla res citius in odium venit quam dolor. Dolor recens consolationem inuenit: et aliquos ad se adducit: inueteratus vero deridetur: nec immerito: aut enim simulatus aut stultus est. Libro 10. epistola 3. Precogitati mali mollis ictus venit. Libro 13. epistola 3. Tam miser est quisque quam credit. Quicquid expectatum est diu: lenius accedit. Libro 14. epistola 2. Non affligitur sapiens liberorum amissione: non amicorum. eodem enim animo fert illorum mortem quo suam expectat. Quid est dementius quam agi futuris: nec se tormento reseruare: sed acersire sibi miseras. Libro 15. epistola 4. Inexpectata plus aggrauat. Libro 17. epistola 4. et penultima. Superuacuum est dolere: si nihil dolendo proficias. Nemo libenter tristi conuersatur. Idem de tranquillitate animi. Tollerabilius est non acquirere quam amittere. Letiores videbis quos nunquam fortuna respexit quam quos deseruit. Nihil tam acerbum in quo non equus animus solatium inueniat. Idem de prudentia. Magis vrgent seua inexpertos. Idem de consolatione ad paulinum. Nihil est difficilium quam magno dolori paria verba reperire. Quid tam humile ac muliebre est: quam consumendum se dolori committere. Idem de consolatione ad helbiam matrem. Naturale est manum sepius ad id recurrere quod doleat. Idem de remediis fortuitorum capitulo 10. Dura est res dolor.

Lex digestorum titulo ad legem iulis de adulteriis l. si adulterium cum incestu §. imperatores. Difficillimum est iustum dolorem temperare.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 3. Magnum animi bonum est: non tremere: sed constare sibi et finem huius vite intrepidus expectare.

Maximianus: Pena minor certam subito perferre ruinam. / Quam timens grauius substinuisse diu. / Dura satis miseris memoratio prisca bonorum.

Fulgentius libro 2. fabula 14. Sapiens dolorem **suum** aut benignitati commendat que omnium munus est: aut obliuioni.

Commented [CN17]: fol.140vb

Cassiodorus epistolarum libro 5. epistola 44. Grauius siquidem dolet iniuria que contigerit inspirata: et si inde proueniat dolus: vnde credebatur auxilium peruenire. Libro 8. epistola 20. Bonum insolitum plus amatur: et sequenti gaudio confert dulcedinem ipsa premissa tristitia. Libro 11. epistola 15. Facile onus affectionis sentiunt qui vti suauibus delitiis non consueuerunt. 18 epistola. Piaculum quodam est inter tristes velle gaudere. Et humanitatis refugit affectum qui dolorem non sequitur alienum.

Gregorius in pastoralis capitulo 28. Habent tristes ex propinquo iram.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 30. Sepius exigua dolor ingens labitur hora. Capitulo 64. et finali. Ut grauius doleat non pertinet ad sapientem / Cum dolor ad dominium premia nulla refert. / Hoc moderanter habet reperari qui nequit arte.

Isidorus soliloquiorum libro i. capitulo 2. Desine tristis esse. Tristitiam repelle a te. Mestitie noli succumbere. Non perseueres in dolore.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 4. Sed per tristitiam fit cito quisque miser.

Bernardus libro de improbatione viciorum capitulo 5. Crebris tristitiis annihilatur homo. / Tristis abhorretur: nec socialis erit.

Heinricus samariensis libro 2. Contra merorem cape gaudia velle refrena. / Atque mali finem semper adesse puta / Grata superueniet que non sperabitur hora. / Que compensabit fellea prisca fauis. / Una serena dies multorum nubila pensat. / Et luteum tergit quod facit vnda solum.

Iacobus beneuentanus capitulo 53. Non est prudentis grauius merere profecto. / Ex hoc presertim quod deus ipse facit. / Prestat non tribuit vitam deus omnibus: ergo / Credita cum repetit nemo dolere vellit. / Commoda nulla dolor ad damnum ferre videtur. / Immo solet damnis addere damna dolor.

De fletu et lamentatione: Rubrica 7

Salomon in ecclesiastice capitulo 3. Tempus flendi et tempus ridendi.

Commented [CN18]: fol.141ra

Hieremias propheta in libello lamentationum capitulo i. Ciuitas hierusalem destructa fingitur lamentari his verbis: O vos omnes qui transitis per viam attendite et videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiauit me sicut locutus est dominus in die ire furoris sui. 3. capitulo. Item ciuitas hierusalem destructa fingitur lamentari his verbis: Tetendit scilicet deus arcum suum. et posuit me quasi signum ad sagittam. 4. capitulo et finali. Populus israel destructa hierusalem

fingitur lamentari his verbis: Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster: cecidit corona capitis nostri: ve nobis quia peccauiimus.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 22. Modicum plora supra mortuum: quoniam requieuit. Luctus mortui septem diebus: fatui autem et impii omnes dies vite illorum.

Tullius tusculanarum questionum libro 2. Quid fletu muliebri viro turpius.

Ouidius epistolarum 2. epistola. Heu patior telis vulnera facta meis. Epistola 6. Non expectato vulnus ab hoste tuli. Epistola 7. Flendo diffundimus iram. Idem de tristibus libro i. epistola i. Tot mala sum passus quot in ethere sydera lucent / Primaque quot siccus corpora puluis habet. Epistola 4. Omnia iam fient: fieri que posse negabam. / Et nihil est de quo non sit habenda fides. / Hec ego vaticinor: quia sum deceptus ab illo / Laturum misero quem mihi rebam opem. Libro 3. epistola 3. Quod tibi qui metit non habet ipse valle. Epistola 8. En ego cum caream patria vrbisque domique. / Raptaque sunt adimi que potuere mihi. Libro 4. epistola 5. Est quedam flere voluptas. / Expletur lachrymis egeriturque dolor. Libro 5. epistola 15. Hanc tuus egetico tibi mittit naso salutem: / Mittere si quisquam quo caret ipse potest. Libro 6. et finali epistola i. Uerba miser frustra non profutura prodo. Idem de ponto libro 3. epistola i. Interdum lachryme pondera vocis habent.

Quintilianus declamationum 3. declamatione. Inter luctus et desperationes feda viuacitate duramus. 9. declamatione. Unusquisque luctibus ac lachrymis suis credit accedere quandam dignitatem si miserimus esse videatur.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 12. Gaudere cum gaudentibus: flere cum flentibus.

Seneca tragediarum in thyeste capitulo 11. et penultimo. Flendi miseris dira cupido est. In hyppolito capitulo 9. Sed pone questus: non leuat miseros dolor. Capitulo 5. At si quis vltro se malis offert volens / Seque ipse torquet: perdere est dignus bona. In troade capitulo 9. Fletus erumnas leuat. In medea capitulo 3. Leuior est dolor qui capere consilium potest / Et clepere sese. In agamenone capitulo 7. Magis exuriunt que secrete lacerant cure. In hercule etheo capitulo 2. Mortis habet vices: / Lente cum trahitur vita gemitibus. Idem epistolarum ad lucillum libro 7. epistola 10. Nec sicci sint oculi amico amisso: nec fluant: lachrymandum est: non plorandum. Libro 13. epistola 3. Noli mala tua facere tibi ipsi grauiora: et te querelis onerare. Libro 17. epistola 8. et penultima. Iniquum est queri de eo quod vni accidit et omnibus restat. Stultius nihil est quam famam captare tristitie et lachrymas approbare quasi iudicio sapienti viro. Idem de remediis fortuitorum capitulo 10. Clamorem dolor exprimit. 16. capitulo. Stultus es qui fles casus mortalium: quid istic aut nouum aut mirum. Idem de ira libro i. Inualidum omne natura querulum est. Idem in prouerbiis. In calamitoso risus etiam iniuria est.

Iuuenalis libro 5. et finali satyra i. Ponamus nimios gemitus: flagrantior equo / Non debet dolor esse viri: nec vulnere maior.

Boetius de consolatione libro i. capitulo i. in principio. Carmina qui quondam studio florente peregi: / Flebilis heu mestos cogor inire modos.

Commented [CN19]: fol.141rb

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 20. **Stulte** quid insanis: cum te dolor vrget inanis. / Acquirat gemitus premia nulla tuus. / Temperet ergo tuum modus et prudentia fletum. / Terge tuas lachrymas prospice quid facias.

Commented [CN20]: fol.141va

Gaufridus in poetria capitulo 32. Si doleas sine teste dole mentisque dolorem / Ignoret facies: quia si dolor intimus hora / Carpit et emacerat: animus iocundior hostem. / Nutrit et impinguat: et gaudia suggerit illi / Exugens tua membra dolor.

De miseria et miseris: Rubrica 8

Iob hystoria capitulo 5. Deus ponit humiles in sublime: et mentes erigit sospitate. 36. capitulo. Quidam amicus Iob nomine elium in consolatione. Iob dixit ei: Caue ne declines ad iniquitatem. Hanc enim cepisti sequi post miseriam.

Salomon in prouerbiis capitulo 19. Homo indigens misericors est.

Salustius in iugurtino. Expertus sum parum fidei miseris esse.

Tullius paradoxorum distinctione 2. Ut improbo et stulto et inertis nemini bene esse potest: Sic bonus vir et fortis et sapiens miser esse non potest.

Ouidius de ponto libro 2. epistola 7. Res timida est omnis miser. Libro 4. et finali epistola 4. Nil adeo fortuna grauis miserabile fecit: / Ut muniant nulla gaudia per te malum. Epistola 12. Crede mihi miseros prudentia summa reliquit. / Et sensus cum re consiliumque fugit. Idem de nuce. Quam miserum est odium damnis accedere nostris.

Quintilianus declamationum i. declamazione. Semper sibi custodiunt miseri: ne esse miserabiles desinant. 13. declamazione. Leuior est calamitas cui blanditur aliquid de voluptate letitia.

Seneca tragediarum in thieste capitulo 11. Proprium hoc miseros sequitur vicium. / Nunquam rebus crede letis. / Redere felix fortuna licet. / Tamen afflictos gaudere piget. / Flendi miseris dira cupido est. In troade capitulo 12. et penultimo. Nemo se credit miserum: sit licet. / **Tolle** felices. Idem epistolarum ad lucillum libro 9. epistola i. Nemo nisi vicio miser est. Idem declamationum libro 8. capitulo i. Fortuna quos miseros facit etiam superstitiosos facit.

Commented [CN21]: fol.141vb

Lucanus libro 3. Seruat multos fortuna nocentes. Et tantum miseris irasci numina possunt.

Stattius thebayde libro 11. Hic miseris furor est: astare periculo. Nec librare metus: et tuta odisse. Quid causus iuuat ostentare pudentes. Libro 12. Amant miseri lamenta: malisque fruuntur.

Fulgentius libro i. fabula i. Sola est medicina miseriarum obliuio.

Boetius de consolatione libro i. capitulo 8. Hic etiam vestris cumulis malis accedit: quod existimatio plurimorum non rerum merita: sed fortune spectat euentum. eaque tantum iudicat esse prouisa que felicitas commendauerit. Quo fit vt existimatio bona prima omnium deserat infelices. Hoc tantum dixerim vltimam esse aduersae fortune sarcinam: quod dum miseris aliquod crimen affigitur que proferuntur meruisse redduntur.

Cassiodorus epistolarum libro 5. epistola 29. Necesse est vt amplius permoueat visa quam audita calamitas. 36. epistola. Non est ignaue culpa quam excusat miseranda calamitas. Libro 10. epistola i. Deus consueuit casus asperos in prospera commutare.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 18. Parua nocent miseris: miseros mala multa sequuntur. / Spesque laborque suos remanent in dubio.

Gualterius de castellione libro 6. Sors miseri querula est.

Iacobus beneuentanus capitulo 52. Ludibrium populo fit miser omnis homo.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Solatium est miseris socios habere penarum.

Prouerbia vulgaria. Ai cham magri vale mosche.

De miserabilibus personis: Rubrica 9

Psalmista 9. psalmo. Patientia pauperum non peribit in finem. 36. psalmo. Cum ceciderit iustus non collidetur: quia dominus supponit manum suam. 102. psalmo. Facientem misericordias dominus et iudicium omnibus iniuriam patientibus. 146. psalmo. Qui seminant in lachrymis in exultatione metent. 160. psalmo. Faciet dominus iudicium inopis: et vindictam pauperum. 166. psalmo. Deus facit iudicium iniuriam patientibus. Dominus soluit compeditos. Dominus illuminat cecos. Dominus erigit elisos. Dominus custodit aduenas: pupillum et viduam suscipiet.

Salomon in prouerbiis capitulo 22. Non facies violentiam pauperi: quia pauper est: neque conteres egenum in porta: quia dominus iudicabit causam eius.

Ouidius de ponto libro 3. epistola 6. Crede mihi miseros celestia numina premunt. / Nec semper lesos et sine fine premunt.

De misericordia et immisericordia: Rubrica 10

In exodo capitulo 22. Aduenam non contristabis: neque affliges eum. Uidue et pupillo non nocebis. Si leseritis eos vociferabuntur ad me: et ego audiam clamorem eorum. et indignabitur furor meus: percutiamque vos gladio. et erunt vxores vestre vidue et filii vestri pupilli. 22. capitulo. Pauperis misereberis in negocio. Non declinabis in iudicio pauperis. Peregrino molestus non eris.

In leuitico capitulo 19. Non morabitur opus mercenarii tui apud te vsque mane. Non maledices surdo: nec coram ceco pones offendiculum. Si habitauit aduena in terra vestra et moratus fuerit inter vos: ne exprobetis ei: sed sit inter vos quasi indigena. 24. capitulo. Equum iudicium sit inter vos: siue peregrinus: siue ciuis peccauerit.

Moyses in deuteronomio capitulo 27. Maledictus qui errare facit cecum in itinere. Maledictus qui peruertit iudicium aduene et pupilli et vidue.

Commented [CN22]: fol.142ra

Thobie hystoria capitulo 4. Noli auertere faciem tuam ab vlllo paupere. ita enim fiet vt nec a te auertetur facies domini. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit statim ei mercedem restitue. et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.

Psalmista 9. psalmo. Patientia pauperum non peribit in finem. 40. psalmo. Beatus qui intelligit super egenum: et pauperem in die mala liberabit eum dominus. 160. psalmo. Faciet iudicium dominus inopis: et vindictam pauperum. 166. psalmo. Dominus custodit aduenas: pupillum et viduam suscipiet.

Salomon in prouerbiis capitulo 14. Etiam proximo suo pauper odiosus erit. Qui miseretur pauperi beatus erit. 17. capitulo. Qui despicit pauperem exprobrat factori eius. Qui in ruina letatur alterius: non erit impunitus. 18. capitulo. Cum obsecrationibus loquitur pauper. 19. capitulo. Fratres hominis pauperis oderunt eum: insuper et amici procul recesserunt ab eo. Feneratur domino qui miseretur pauperis et vicissitudinem suam reddet ei. 21. capitulo. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis: et ipse clamabit et non exaudietur. 22. capitulo. Non facies violentiam pauperi: quia pauper est neque conteres egenum in porta: quia dominus iudicabit causam eius.

Commented [CN23]: fol.142rb

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 4. Oculos tuos transferas a paupere. Non exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne afflixeris: et non protrahas datum angustianti. Rogationem contribulanti nec abiicias: et ne auertas faciem tuam ab egeno. In iudicando esto pupillis misericors vt pater: et pro viro matri illorum. 13. capitulo. Pascua diuitum sunt pauperes. Humilis cum ceciderit expelletur et a notis. Humilis deceptus est: insuper et arguitur: locutus est sensate: et non est ei datus locus.

De diuina consolatione miserabilium personarum: Rubrica 11

In exodo capitulo 23. Pauperis misereberis in negocio.

Psalmista 36. psalmo. Iustus miseretur et tribuet. 83. psalmo. Misericordiam et veritatem diligit deus. 84. psalmo. Misericordia et veritas obuauerunt sibi.

Salomon in prouerbiis capitulo 3. Misericordia et veritas non te deserant. 11. capitulo. Bene facit anime sue vir misericors qui autem infidelis est: et propinquos abiicit. 14. capitulo. Qui miseretur pauperi beatus erit. Qui credit in domino misericordiam diligit. Misericordia et veritas preparant bona. 16. capitulo. Misericordia et veritate redimitur iniquitas. 17. capitulo. Qui in ruina letatur alterius: non erit impunitus. 19. capitulo. Homo indigens misericors est. 22. capitulo. Qui pronus est ad misericordiam benedicetur.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 11. Misericordia est tristitia quedam super apparenti malo corruptiuo vel contristatio eius qui indignus est sortiri quod ipse expectet se passurum aut aliquem suorum: et hoc cum prope videatur. 16. capitulo. Iuuenes miseratiui sunt: quia omnes bonos et meliores arbitrantur. sua enim innocentia proximos mensurantur: quare indigna pati existimant ipsos. Idem de hystoriis animalium libro 8. capitulo i. Mulier viro misericordior est.

Commented [CN24]: fol.142va

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 3. Cor durum male habebit in nouissimo. 4. capitulo. Non exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne afflixeris: et non protrahas datum angustianti anime. In iudicando esto pupillis misericors vt pater et pro viro matri illorum.

Tullius tusculanarum questionum libro 3. Misericordia est egritudo ex alterius rebus aduersis.

Quintilianus declamationum 8. declamatione. Est quidem felicibus difficilis miseriarum vera existimatio. Superbius existimat miserias longa felicitas: et alienum casum facile despicit.

Mattheus in euangelio capitulo 5. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Lucas in euangelio capitulo 6. Estote misericordes: sicut et pater vester misericors est.

Seneca de clementia. Misericordia est vicium animorum nimis miserias patientium.

Ualerius maximus libro 4. titulo de abstinentia et continentia. Populi romani mirifica abstinentia inspecta est in procella quam G. marius: et L. cimius rei publice inflixerant. Nam cum a se proscriptorum penates vulgi manibus diripiendos obiecissent: inueniri nemo potuit qui ciuili luctu predam peteret. Unusquisque enim se ab his perinde ac si a sacris edibus abstinuit. Que quidem tam misericors continentia plebis tacitum crudelium virorum conuicium fuit. Libro 5. titulo i. Laudabile est infelici hosti scire misereri. Libro 9. titulo de superbia. G. pompeius balneo egressus ante pedes suos prostratum hypseum ambitus reum et nobilem virum et sibi amicum iacentem reliquit: contumeliosa voce proculcatum: nihil etiam aliud agere quam vt conuiuium suum moraretur respondit.

Lex codicis titulo de naturalibus liberis l. legem. Misericordia digni sunt qui alieno laborant vicio.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 4. Ad misericordiam sis promptus.

Boetius de consolatione libro 4. capitulo 7. Miserandi sunt quorum mentes omni langore atrocior

Commented [CN25]: fol.142vb

vrget improbitas. 8. capitulo. Dilige iure bonos: et miserescere malis.

Uersificator fabularum esopi 44. fabula. Te nulla potestas. / In miseros armet: nam miser esse potes.

Gualterius de castellione libro 6. Sors miseri querula est: felicis vero superbus / Est status: et tumidi nulla est compassio mentis.

Heinricus samariensis libro i. particula i. Nam quotiens miserum probet expugnare laborat. / Se misero similem nititur esse probus.

Iacobus beneuentanus capitulo 26. Nec spernas aliquem: quia forsitan sit miser ipse. / Euoluit curriem: nam lapis exiguus.

De humana consolatione miserorum: Rubrica 12

Iob hystora capitulo 2. Quidam amicus iob nomine elipham: consolatus fuit iob in aduersitatibus suis his verbis: Docuisti multos: et manus lapsas roborasti: vacillantes confirmauerunt sermones tui: et genua trementia confortasti. Nunc autem venit super te plaga: et defecisti: tetegit te deus et conturbatus es: vbi est timor tuus: fortitudo tua: et perfectio manuum tuarum? Recordare obsecro te quis vnquam innocens periit: aut quando recti deleti sunt: quinpotius vidi eos qui operantur iniquitatem et seminant dolores et metunt eos flante deo perisse: et spiritu ire eius esse consumptos.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 4. scilicet de chilone. Chilo lacedemonius qui fuit vnus de septem sapientibus iubebat citius ad calamitates amicorum quam ad prosperitates ire.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 7. Non desis plorantibus in consolatione.

Ouidius de tristibus libro 5. epistola 9. Detineo studiis animum: falloque dolores / Experior: curis et dare verba meis. Idem methamorphosis libro 15. et finali. Neque enim fortuna querenda. / Sola tua est: similes aliorum respice casus / Mitius ista ferēs: vtinamque exempla dolentem / Non mea te possent releuare: sed et mea possunt.

Seneca de tranquillitate animi. Si te ad studia reuocaueris: omne vite fastidium effugies. Idem de consolatione ad paulinum. Studia optime felicitatem extollunt: et facilime calamitatem minuunt.

Commented [CN26]: fol.143ra